

1426 Creditum ab initio est, Venetos, aliqua insigni clade accepta, Brixia decessuros, habiturosque illic tam diu præsidium, donec Sforzia cum suo equitatu affuisset. Datum erat ei a Philippo negocium, ut quam maxime posset, se infestum rebeli civitati exhiberet, arcemque, si Venetum inde dejicere non posset, tam diu tutaretur, donec ex Hetruria omnes in Galliam copias revocasset. Objecerat interea fossam cum vallo Venetus Imperator hostium munitionibus, ita ut sub Sforziæ adventum, etsi tumultuariæ aliquot inde eruptiones factæ sint, illæ ipsæ tamen haud multum trepidationis attulerint; pugnatum etiam nonnunquam circa mœnia vario eventu, sed pugnae omnino leves, & quales per occasionem alterius partis committi solent. Carmaniola videns hostium conatus haud tam formidabiles esse, quam ab initio ipse & alii futuros crediderant; quin etsi Sforziæ præsentia, & vigor animi, hostem ad omnia audenda audaciorem redderent, indies tamen tumultuosas illius eruptiones magis ac magis frigescere: tradita valli & fossarum custodia Francisco Gonzagæ, viro impigro, ipse summa ope portam quæ *Pallaris* dicitur, oppugnare adortus, omnia intente obire, admotisque proximo loco operibus, die noctuque hostem fatigare. Sed pervigilio assiduaque corporis jactatione nervorum debilitas (quam, quum Taurisij esset, præcipiti equo devolutus contraxerat) vehementer recrudit: atque ob id ipsum in Patavini agri balnea concedere coactus est. Quo absente, ductu & auspiciis Gonzagæ ita impigre omnia administrata dicuntur, ut Imperatoris in nulla re desideraretur præsentia. Etenim quandoque per eos dies hostes ferociores solito coorti, rem Venetam crebris incursionibus sollicitarant: ille tamen non modo non animum ad id remisit, sed fortiter etiam omnes eorum motus coercuit, adhibitis extra urbem stationibus, quibus ii, qui ad eam diem ociose hostibus commeatum importarant, ab munitionum & arcis accessu prohiberentur.

In hoc statu res ad Brixiam erant. Philippus interim trepidissimis nunciis, aliis super alios missis, omnes copias